DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYSTERIA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HYSTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DANIEL DENNY,

HIBERNUS.

Proteo ipso mutabilior.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

JOANNI BARRET, Armigero,

DE *CORCAGIA*,

TESTIMONIUM LEVE SED SINCERUM

ANIMI GRATI,

OB BENEFICIA FERE INNUMERA,

QUIBUS

EUM STUDIO MEDICINÆ INCUMBENTEM,

PROSECUTUS EST;

HAS PRIMITIAS,

SUMMA OBSERVANTIA,

D. D. D.que

SORORIS FILIUS.

NECNON,

CAROLO CARROL, ARMIGERO,

VIRO

OMNIBUS QUÆ HOMINEM EXORNANT VIRTUTIBUS

INSIGNI;

HOC OPUSCULUM,

AMICITIÆ IN EUM COLLATÆ MEMOR,

ANIMO LUBENTISSIMO,

OFFERT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYSTERIA.

DANIELE DENNY Auctore.

PRÆFANDA.

Ex omnibus morbis quibus homines anguntur, nulli mihi, attentionem medici jure ampliore vindicare videntur, iis, quos CULLENUS celeberrimus Classi *Neurosis* et Ordini *Spasmi* subjecit. Ex hac classe, Hysteriam elegi, legi Academiæ Edinensis obediens, qua, quisque candidatus summos honores apollinares ambiens, aliquid de re medica tractare obligatur.

Morbus, de quo in animo est agere, sexui amabili solummodo infestat; aio "solummodo," quod omnes medici, paucis exceptis, affirmant, mares nimia mobilitate præditos interdum hoc morbo vexari.

In libro cui titulus est, "Dictionnaire des Sciences Medicales," hanc opinionem plane refutatam videmus, à LOUYER VILLERMAY, Med. Gall. Inquit, "L'Hysterie est une affection distincte *sui generis;* telle fut l'opinion generale des premiers maîtres de l'art, et même de tous les médicins, pendant plusieurs siècles.

"Il ne fallut rien moins que le prestige d'un grand nom, pour remplacer cette verité par une erreur frappante.

"SYDENHAM le premier avança, que les affections Hysteriques et Hypochondriaques etaient une seule et même maladie; ou plutot, que l'Hysterie était Hypochondrie des femmes. Non seulement cette opinion erronée eut force de loi dans l'esprit de ses contemporains, mais elle domine encore de nos jours dans une partie du monde medical. Cependant les Médicins qui ont apporté le plus de soin dans la distinction des ma-

ladies, les Nosographes surtout, semblent avoir rivalisé d'efforts pour isoler ces deux affections.

"C'est l'inapplication ou la prevention qui a trompé certains observateurs, c'est le defaut d'attention, pour reconnaitre l'Hysterie et l'Hypochondries simples, ou compliquées, qui a detourné de la bonne route; on aura rencontré chez l'homme quelques symptômes nerveux analogues à ceux qu'éprouvent les femmes hysteriques, et l'analogie aura fait admettere trop legèrement l'identité."

Et in alio loco ait, "Mais * si nous demontrons qu'il existe une maladie dont l'uterus est le siege, et qu'il est bien distincte de tous les désordres qui peuvent exister dans les organes genitaux de l'homme, ne serai-t-il pas evident que cette affection est exclusive chez la femme?"

De Hysteria pauca disserere statui, non spe inductus tenebras fugandi, quibus natura ejus involvitur; frustra equidem conatus esset, hactenus enim peritissimorum etiam acumen fefellit;

---

* Vide "Traité des Maladies Nerveuses, par M. L. Villermay."

eoque potius quod mihi medicinæ studio incumbenti, haud pauca ejus exempla videre contigit.

Hysteria, *Proteus*, et *Chamelion*, inter morbos a SYDENHAM nominatur; liceat mihi verba citare. "Sed nec spectabilior est hujus morbi frequentia, quam varietas illa multiformis, qua se ostendit, et nullos fere non æmulatur ex iis effectibus, quibus, atteruntur miseri mortales. Quamcumque enim corporis partem insederit, symptomata, qualia ei competunt parti, statim producit *."

Capitis dicit arcem occupans, apoplexiam facit; aliquando spasmos horrendos gignit; epilepsiæ persimiles, in partes vitales incidens, vehementissimam cordis palpitationem excitat; nonnunquam pulmones obsidet, et tussim molestissimam inducit; in colon et regionem scrobiculo cordis impetum faciens, dolorem iliacæ passioni haud absimilem infligit; quandoque renes et vesicam incursans, impetum nephriticum omnino mentitur; nunc in

---

* SYDENHAMI Opera, edit. Bat. p. 388.

ventriculum decumbens, continuas vomitiones excitat.

Alii, alias Hysteriæ definitiones dedere; celeberrimi CULLENI illa autem omnibus anteponenda videtur:

"Ventris murmura, sensus globi in abdomine se volventis, ad ventriculum et fauces ascendentis ibique strangulantis, sopor, convulsiones, urinæ limpidæ copia profusa, animus nec sponte varius et mutabilis."

DE SIGNIS.

In hoc morbo symptomata, tam diversa et contraria sunt, ut fere impossibile esset, indicia singula ejus depingere; igitur mihi in animo est, ea solummodo notare, quæ plerumque sese ostendunt.

Rarissime equidem accidit, ut symptomata sunt eadem in duabis fœminis, etiamve in eadem fœmina diversis temporibus.

De hoc luculenter facit verba VILLERMAY ille medicus solertissimus: "L'age, le temperament, les habitudes physiques et morales, la nature particuliere de la cause ou des causes, la sensibilité speciale, ne modifient-ils pas quelquefois les phénomènes hysteriques? De ces sources diverses depend la plus grande différence des accès et de la maladie considérée en elle-même."

Hysteria sub eadem forma non semper occurrit: mulieres magnæ mobilitatis, et habitus corporis debilioris, plerumque afficit; aliquando tamen robustas et plenas aggreditur; puellas præ nuptis, sterilesque præ fœcundis, rapere solet.

Morbus plerumque paroxysmis invadit, interdum vero tarde et paulatim accedit; ægra, languore, lassitudine, et suspiriis corripitur; animus demissus et anxius est; fere semper illacrymat, et ridet alternatim; oculi hebescunt et volvuntur; modo, os distorquetur, musculis ejus convulsis, modo, vultus vel pallescit, vel rubescit, vel alternatim has formas induit; pulsus inæqualiter subsilit, et sæpe intermittit; et fere semper urina limpida, aquæ similis (deficiente urea), magna copia redditur; mox nausea supervenit, interdum

etiam vomitus, respirandi difficultas est, anxietas molestissima, cordis palpitatio; caput apud punctum unum, scilicet, vel frontis, vel occipitis dolore fixo et vix tolerabile angitur, et sensatione ista peculiari quasi clavus capiti infixus esset.

Omnia hæc signa accessioni instanti præcedunt; paulo post ingravescunt; atque in ima et sinistra abdominis parte, sensus plenitudinis et doloris percipitur; etiamque motus obscurus in regione uterina nunc aggreditur.

Hic sensus est quasi globi ab imo ventri ascendentis, et sequentis tractum intestinorum usque ad ventriculum; ubi inflationem, dolorem et interdum vomitum, movet.

In casibus nonnullis haud ultra progreditur, sæpius autem ad fauces ascendit; inde gulam summam pariterque arteriam asperam ita premit, ut devorandi et respirandi difficultatem inducat: haud raro quoque jam omnia molestiora signa superveniunt; ægra subito prosternitur, stupore perculsa sensibusque privata, corpus totum sed præcipue truncus convulsionibus torquetur; interdum ægra manuum digitis vehementer contractis, pectus crebro et violenter pertundit; spu-

mat ore, abdomen indurescit, umbilicusque introrsum retrahitur, sphincter ani tam arcte contrahitur, ut etiam fistula parvula non inseri possit. Urina nonnunquam prorsus supprimitur, tussis sicca et spasmodica vexat, sensus adest pectoris angustiæ et constrictionis, respiratio frequens, difficilis, et sæpe tam languida est, ut vix aut ne vix quidem percipiatur; pulsus modo tardus et debilis, modo durus et vacillans.

In exemplis quibusdam nec convulsiones, nec tussis, neque motus abnormes ulli observantur; ægra supina jacet; oculis occlusis, et sese habet non aliter quam si in somno profundo sepulta esset. Hic status aliquamdiu perstat, citius autem vel serius, anxia, delassata et debilis expergiscitur.

Intestina murmurant, flatusque demittitur, arteriæ gradatim more solito sese tollunt et submittunt; vultus aspectum naturalem assumit, totum corpus gradatim calet, atque facultas loquendi primo tarde et indistincte, suspiriisque crebris interrupta, tandem plane redditur.

Ægræ hystericæ fere omnes concoctionis cibi malæ signis vexantur, veluti anorexia, nausea,

&c. alvus plerumque astricta est, et vix solvenda.

DE CAUSIS.

Quando proclivitas huic morbo in corpore existat, res nullius momenti satis superque paroxysmos inducere possunt, unde puella casta et amabilis a nugis aëre inanioribus hoc morbo acerbissimo miserrime cruciatur.

Affectus animi vehementes, sicuti gaudium, ira, timor, spes procrastinata vel frustrata, metusque subitus, hysteriam inducere videntur.

Debilitas atque mobilitas nimia, sive congenita sive oriens ab usu immodico diluentium tepidorum, veluti, infusi theæ aut coffeæ, cibo nutrienti simul non sumpto, hysteriam excitant.

Vitæ genus otiosum et sedentarium, lavationem tepidam frequentem, copiam alvinarum fæcum diu retentam, cœlum calidum, nimium lecti et cubiculi calorem, detractionem sanguinis, alvi

purgationem nimiam, et studia protracta, inter causas morbi nostri excitantes enumerare licet.

Supersunt adhuc causæ plurimæ aliæ vixque enumerandæ, sicuti odores ingrati, vel soni subiti et injucundi, &c.

Functiones uteri ullo modo perturbatæ, hysteriam recte excitant; tales sunt retentio, suppressio, et diminutio fluxus menstrualis, cessatioque ejus spontanea vel accidentalis.

Hysteria nunquam contagiosa est, nisi ab imitatione, quæ sæpe morbum excitat ægræ ministrantibus, vel per horrorem, vel consensum aliquem, mirum equidem, sed explicatu difficilem.

DE DIAGNOSI.

Ex signis supradictis, spes est mihi, ut in aprico erit, quomodo hæc ab aliis affectionibus distingui potest.

Morbi quibus confundi potest Hysteria, sunt Epilepsia, Hypochondriasis, et Syncope.

De Epilepsia et Hysteria invicem dignoscendis.

In paroxysmo epilepsiæ sensus externi æque ac interni omnino abolentur; in hysterico autem, auditus, visus, et memoria, illæsi sæpe remanent; in hysteria neque tot musculi convelluntur, neque tam graviter, ut in epilepsia accidit.

Hysteria post pubertatem adoritur, sexuique sequiori propria est; epilepsia autem mares plerumque impuberes aggreditur, et haud raro congenita est.

In epilepsia ex ore fere semper copiose spumatur, quod rarius in hysteria observatur.

Epilepticis mortis instantis nunquam est aliquis horror; ægræ hystericæ contra, semper metuunt ne mors subito ingruat.

In epilepsia paroxysmus sæpe paucis horæ momentis finitur; in hysteria aliquando per horas viginti quatuor vel plures perstat.

In epilepsia pulsus frequens est, respiratio celeris et non nisi cum difficultate exercenda; in hysteria pulsus debilis est, atque haud raro vix percipi potest.

Status somni, epilepsiæ proclivitatem maxime inducit, et sæpe accessiones inter somnum tantummodo occurrunt; in hysteria, res longe aliter se habet.

Pupillæ luce admota statim sese contrahunt; sed in epilepsia vera, nunquam ad contractionem cientur.

Denique, sensus globi, clavi, et strangulationis, cum urinæ limpidæ fluxu immodico, quæ hysteriæ signa propria sunt, nunquam in epilepsia observantur.

De Hypochondriase ab Hysteria discernenda.

Hypochondriasis mares quibus est temperamentum melancholicum invadit, raro ante meridiem vitæ oritur, paulatim accedit, diu protrahitur, difficile sanatur, et sæpe in melancholia terminat.

Hysteria, contra, fœminas temperamenti sanguinei adoritur, et brevi post pubertatem accedit; ad hoc convulsiones, spasmi, et deliquium animi in hypochondriase fere semper desunt.

De Syncope et Hysteria invicem dignoscendis.

In syncope pulsus cordis et arteriarum minuuntur, vultus pallescit, et convulsiones fere absunt, accessio vel cito finitur, vel ægram e medio tollit.

In hysteria pulsus, quamvis languidus, tamen evidens et sæpe frequens est, respiratio nunc celeris, nunc tarda, vultus rubescit, oculi modo hebescunt, modo caligant, et aliquando omnino clauduntur.

In syncope semper desunt convulsiones, potiusve contortiones, quæ in hysteria plerumque accedunt.

DE RATIONE MEDENDI.

Quamvis Hysteria, si diu perstiterit, ægerrime depellitur, et sæpe omnia medicinæ auxilia aspernatur, tamen medicum oportet, causis subigendis, et paroxysmis fugandis, niti summa ope ut valetudo secunda reducatur.

Duo consilia exequenda curationem amplecti videntur.

I. Paroxysmos jam præsentes mitigare, et quamprimum fugare.

II. Paroxysmis fugatis, causas excitantes et remotas summovere, vel evitare quo minus ægra relabatur.

1. Remedia quæ ad accessiones præsentes fugandas et mitigandas maxime pollent, emissio sanguinis, spasmi solventia, sternutatoria, et vis electrica sunt.

Cum morbus videtur arteriarum nimia plenitudine oriri, si ægra juvenis et plena est, et si morbus non adhuc provectus sit, sanguinem libere detrahere oportet. Hoc remedium tempestive adhibitum sæpe præcavet ne superveniant convulsiones, quæ, sæpe repetitæ diuque protractæ, motus cordis et arteriarum in tantum perturbant, ut plus æquo sanguinis in quandam partem vitalem propellitur, ideoque vita ægræ in periculo maximo versatur.

His de detractione sanguinis præmissis, nobis consilium est pauca dicere de remediis quæ spasmos resolvunt.

Ægræ, quamprimum devorare potest, aliquod antispasmodicum porrigendum est.

Ætherem sulphuricum in paroxysmos hystericos removendo, vi insigni valere, inter omnes medicôs hodie ni fallor convenit. Effectus ejus certe fugax est, sed levamen præsentaneum præbet; si in ventriculum assumptus plurimum valet; si hoc non fieri potest, expediet ut temporibus infricetur vel naribus admoveatur.

Ammoniæ carbonas naribus subjectum, auxilium haud contemnendum contra hysteriam affert; paucæ guttulæ aquæ carbonatis ammoniæ ex aquæ fontanæ poculo, haud raro ægram resuscitant.

Fumus ex plumis ustis oriens, naribus adhibitus, sæpe multum prodest.

Assafœtida quamvis multis scriptoribus haud immerito laudata, tamen omnibus fœminis non æque convenit, quibusdam enim horrorem et fastidium, aliisque nauseam et vomitum excitat, non solum si in ventriculum receptum, sed etiam ob odorem ingratum quem semper emittit. Attamen ex purgantibus cum fœtidis conjunctis, et in alvum per fistulam armatam injectis, auxilium haud parum existimandum præbetur.

Opium, quamvis ad motus abnormes solvendum maxime pollet, remedium est quod ægris hystericis parum idoneum videtur, igiturque hoc raro a medicis præscribitur, nisi alia omnia prius frustra tentata essent.

Scintilla electrica pro remedio non prorsus prætereunda est, varios autem effectus variis corporibus gignit.

Medicamentis enumeratis quibus paroxysmi fugari possunt, nunc inquirendum, quibus remediis, qualique vitæ genere præcaveri potest, ne iterum morbus redeat.

Medicamenta tonica et roborantia, sive ex regno vegetabile vel animali derivata, beneficio summo usurpantur.

Hujusmodi est cinchona officinalis, quæ cæteris forsitan præstat, ob vim specificam quam in summovendis aliis morbis periodicis possidere videtur. Pulvis vero cæteris præparatis antecellit, ventriculum enim confirmat, appetentiam cibi movet, atque viribus ejus roborantibus totum corpus minus mobile reddit.

Valeriana, gentiana, quassia, hyosciamus, aliaque vegetabilia haud sine fructu adhiberi possunt.

Remedia ex animalibus desumpta, præcipue sunt castoreum, et moschus; illud autem ad hysteriam summovendum parum equidem valet, neque hodie fert palmam, quam nonnulli medici olim ei attribuerint.

Hoc vero usurpari potest in his exemplis, quibus opium, et alia antispasmodica, propter effectus eorum proprios, non licet adhibere.

Nonnulli medici putant præparata ex metallis quibusdam, scilicet, cupro, ferro, et argento, si per intervalla adhibeantur, multum contra hysteriam pollere; sed longe abest, ut hæc medicameta ad spem semper respondent, haud raro equidem omnino fallunt.

Nunc breviter disputandum est, de remediis, et vitæ genere, quibus iste status corporis quo pendere videtur morbus, corregi vel summoveri potest.

Imprimis, maxime notandum est, ut aër purus inhaletur, ut cibus sit ex materia nutriente, simulque facili concoctu, igitur, ex carne modice sumpta præcipue constare debet.

Cura maxima habenda est, ut alvus soluta teneatur; enim, uti Doctor HAMILTON satis de-

monstravit, in hysteria summovenda alvi purgantia, in dosibus plenis et repetitis, summo fructu adhibentur.

Exercitatio sub Jove ad corpus confirmandum multum pollet, et omnibus medicamentis tonicis anteponenda est; enim halitum cutis, concoctionem cibi, et fere secretiones et excretiones omnes, valde promovet; si per amœna loca itinera emetiantur ægræ, plus adhuc proderit exercitatio, novitas enim rerum animum delectat, tristitiam pellit, et imaginationem jucunde occupat.

Inter remedia roborantia non omittendum est balneum frigidum, quod, ventriculum roborando, viresque corporis omnes reficiendo, fœminis ad hysteriam proclivibus haud parum opitulatur.

Aquæ medicinales, præcipue eæ ferro imbutæ, olim, etiamque hodie, maximi existematæ sunt in hoc morbo debellando, atque equidem auxilium haud parvum interdum afferre videntur. Aquæ autem quæ et sales medios, et gas hydro-sulphuretum tenent, propter effectus eorum proprios, jure optimo anteponendæ sunt; hujusmodi sunt fontes quæ apud *Harrowgate* et *Moffat* inveniuntur.

Mens quoque jucunde occupatur et exhiliratur voluptatibus quas loca talia præbent, et huic forsitan rectius attribuendæ sunt, vires salutiferæ quas possidere creduntur.

Paroxysmi hujusce morbi frequenter ab consuetudine solummodo redire videntur, ideoque in hoc fugando multum ex ægra ipsa pendet, quam oportet summa ope accessioni instanti obstare; hysteria enim certius atque efficacius amovetur, vinculum morbi frangendo, et causas excitantes sedulo evitando, quam ullis medicamentis quæ adhuc tentata fuerunt.

FINIS.